

lich Odysseus dem Alkinoos, der Arete und den anderen Phäaken mit innigem Danke für ihre Freundlichkeit Lebewohl sagt, ist die reizende Jungfrau die einzige, die nicht dabei ist. Sie flog vor den Augen des Odysseus und nicht minder vor den unsrigen wie ein süßer Traum durch, ihm und uns in angenehmer Erinnerung bleibend. Was sollte der Dichter eigentlich mit Nausikaa anfangen, wenn er sie bei dem Abschied des Odysseus zeigen wollte? Sollte er sie unglücklich, verzweifelt, weinend oder sogar sich entleibend vorführen? Sie würde dadurch zwar sentimental und romantisch ausfallen, entspräche aber in dieser Form keineswegs der alten epischen Poesie. Der gesunden und natürlichen homerischen Poesie entspricht es gewiß besser, Nausikaa bei der Abfahrt des Odysseus nicht vorzuführen, sondern sie vor den Augen unserer Phantasie in jenem Bilde zu lassen, wie sie, an der Pfoste des Saales stehend und den Helden betrachtend, redet: „Gedenke mein!“, und er erwidert ihr: „Wie einer Göttin werde ich dein immerfort gedenken“.

DE ἄπαξ εἰρημένῳ CLAVIGER i. q. GUBERNATOR

Vox sane Ovidiana composita *claviger* his locis atque significationibus invenitur:

Primum, a *clava* et gerere: a) de latrone *Peripheta*, Vulcani filio (i. q. κορυνήτης, v. Thes. L. L.) Ov. M. VII 437; b) de *Hercule* Ov. M. XV 22; 284; F. I 544; IV 68; Ibis 253; a quo Sil. It. III 14 (sc. Hercules Gaditanus; sed codd. nonnulli habent corniger, v. ed. L. Baueri).

Secundum, a *clavis* et gerere: c) de *Iano* Ov. F. I 228 (cf. 99) et inde Publil. Optat. Porfyr. carm. 18, 29 (ed. L. Müller); d) de Petro apostolo saepissime (locos antiquissimos v. in Th. L. L.; in MA. v. Ducangii Gloss.: 1. *claviger* „s. Petrus, cui Ecclesiae claves commisit Christus“; cf. etiam 2. *claviger* „qui cellae vinariae praeest, idem qui buticelarius).

At tertium *claviger*, a *clavus* „navis gubernaculum“ (s. potius „quo regitur gubernaculum“, Isid. orig. 19, 2, 12) et gerere, i. q. gubernator, habes nunc in *Francisci Natalis* nostratis carm. 31, 137 s. (meae editionis¹):

Firma satis fuerat quondam Pagaseia puppis:

Fracta sub aequoreis haec tamen isset aquis,

Ordine *clavigeri* si non prudentia *Tiphis*²)

Vela daret, tumidis exsinuanda notis.

¹) Qui intra fere annos 1490—1540 Spalati carmina condebat.

²) Gen. *Tiphis*: sive *synhizesis* e *Tiphysis*, sive *Tiphys* legendum (cf. *Cotyis*, *Coty*; Tac. ann. 2, 67; gen. *Atys*, *Othrys* ap. *Probum*; Th. L. L. *Onomasticum*; *Georges*, *Lexikon* d. lat. Wortformen, s. v.; R. Kühner, Ausführliche Grammatik d. lat. Sprache³, Hannover 1912, I 363 No. 3.

Clavigeri hoc pede dictum habes in: Ov. M. XV 284; Ibis 253; Sil. It. III 14; Porfyr. 18, 29. Atqui *Tiphys* sexto in pede: Val. Flacc. III 37; 259; 433; V 25 (*Tiphyn*).

Qui Natalis verborum novorum fuit inventor cupidissimus; cf. e. g. Automedonteus 31, 143; ardivus 49, 3; blandidulus 4, 4; Caucasus i. q. barbarus 35, 4; dictamen 48, 3; 63, 3; inacerbus (cf. inacerbare) 50, 40; perambire 19, 121; properamen i. q. properantia 31, 27; Stagireus 51, 83; superbulum i. q. superbia 35, 25; tacitura i. q. taciturnitas 45, 11; virilega Circe 59, 45 (cf. venefica Ov. am. III 7, 79: *Carter*, Epith. deorum, s. v.) et c.

Sic Paelignum poetam homines medii aevi ad novas formas fingendas incitasse etiam hoc parvo exemplo clare apparet. Sed etiam hoc elucet, Francisci nostri vocem *claviger* male compositam esse. Nam clavum teneri, non geri testes sunt plurimi (cf. Cic. Cato 17 cum . . . ille gubernator clavum tenens quietus sedeat in puppi; epist. ad fam. 9, 15, 3 sedebamus in puppi et clavum tenebamus; Sen. dial. 6, 6, 3 at ille [sc. navigii rector] vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clavum tenentem; Th. L. L. s. v.).

Belgradi.

Miroslavus Marković.

DE INSTRUMENTALI SIMILITUDINIS

Apud Enn. Ann. 250 Warmington (=Vahlen³ 253) *deducunt habiles gladios filo gracilento* scriptum legimus, quod Warmington his verbis Anglice reddidit: They beat out handy swords like (!) slender thread. qua interpretatione inductus verbis *filo grac.* similitudinem exprimi persuasum habeo. in linguis vero Slavicis similitudo casu instrumentali affertur, cf. palaeoslav. *крѣвь теѣаѣ рѣками*; russ. *налетѣла старость ѣрным voronom* (Vondrák, Slav. Gramm. II 352 sub „Instr. des Vergleiches“). cuius casus duo tantum exempla Latina, quod sciam, inveniuntur: hoc Ennianum et Livianum (43, 13, 4) illud: *Reate imbri lapidavit* (=lapides velut imber de caelo ceciderunt).

Ljubljana.

M. Grošelj.